

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e] Elektronische Ressource

**Fecht, Johann
Fecht, Gustav Friedrich**

Rostochi, 1704

VD18 10451528-001

§. XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

§. XXXV. Ad v. eund. *Una Ada, altera Zilla.*) Adam dictam fuisse quasi *remotam* à viro, cum qua extra unum alterumque congressum, generandorum liberos causa institutum, nihil Lamecho fuerit negotii: Zillam verò tanquam sub umbra viri omnibus deliciis gaudentem, tradit *R. Sal. Jarchi.* De qua inutili solertia recte *Aben Ezra:* אל תשים לבך לשמור אל לבך לשון הקדש הגאון בשמורה כי אלו היינו יודעיו כל לשון הקדש מאין נוכח לדעת כל הקורות כטע משנה ויששכר; *tu ne animum tuum adverte ad verba Excellentis illius viri quo ad nomina ista, quia si vellemus scire omnem loquendi in Scriptura rationem, unde poterimus omnem Scripturarum sensum expiscari, sicut scimus de Mose & de Isaschar.* Hoc nempe vult, nisi Scriptura ipsa explicatione sua præeat, nominum priorum originem Grammaticam, impositionis causam & totius rei historiam necessariò nos latere. Quod exemplo vocis Isaschar & Mosis confirmat.

§. XXXVI. Ad v. 20. *Jabal pater habitantium in tentorio & gregis.*) Sententia quidem clara est, Jabalem nempe patrem fuisse, i. e. autorem eorum, qui non in domibus, sed tentoriis ob hanc commoditatem habitaverint, ut tentoria, quoties necessitas requiret & pascua ibi locorum, ubi primum fixerant, deficerent, sine ullo negotio refigere & in alium locum transferre possent. Quali vitæ genere adhuc hodie, nisi fallor, Tartari Præcopenfes utuntur. Sed in Ebraismo loquendi ratio paulo difficilior videtur: *autor incolentium tentoria & armenti.* *Ben Melech* supplet vocem: רעים, *pastorum*, hoc sensu: *erat inventor habitantium tentoria & pascentium armenta.* *Radak* tò ו in ומקנה per אמ, seu cum vertit, hoc sensu. *erat incolens tentoria cum pecore.* Quo pacto tò ו ei

H

occur-

occurrit Exod. I. 5. ubi dicitur: וַיִּוְסֵף הַיִּרְדָּן נַמְצָרִים
 quod cum *Onkelo & Tremellio* convertit: septuaginta erant
 animæ unâ cum *Joseph, qui erat in Aegypto*. Consentit cum ipso
D. Christian. Noldius & Bochartus in *Hierozoico*. *D. Seb. Schmidius*
 existimat, unū nomen *habitor* stare pro duobus hoc
 sensu: *habitor tentorii & vir pecoris*. Cæterum uti *Ja-*
bali hoc loco inventio tentoriorum & pascendi pecoris,
Jubali verò Musicorum instrumentorum & Tubalkaino
 æris conficiendi aprandiq; inventio tribuitur: ita frustra
 hæc omnia à *Seb. Münstero & Isidoro Clario*, *Lamecho*, viro,
 ut ait, *in omni arte prudentissimo*, tanquam primo auctori,
 qui has artes ad filios illos suos traduxerit, adscribuntur.
 Nec enim *Lamech* אֲבִי, *primus* horum artificiorum in-
 ventor, sed filii ipsius dicuntur.

§. XXXVII. Ad v. 21. *Jubal pater pulsantium in*
cithara & organo, אֲבִי autorem primumque inventorem
 notat. *D. Seb. Schmidius* præterea putat, denotare infi-
 gnem artificem. Quod utique conceditur pro modulo il-
 lius temporis, quo quicquid ad perfectiorem statum,
 quam antea fuerat, evehitur, excellens nobis & singu-
 lare apparet. Quemadmodum poësi Germanica è Ger-
 mania prorsus exulante *Joannis Sachsi* rhythmus, utcun-
 que hodie nobis simplicissimi, imo & auribus nostris
 graves videantur, summo tamen eo, quo vixerat, tempo-
 re, in pretio apud omnes erant & admiratione. Et tor-
 te ex reliquiis Musicæ Jubalæ, adhuc hodie in Asia super-
 stitibus, de quibus *Clericus* ad h. l. apparere possit, qualis
 & ipsius quoque inventoris Musica olim fuerit, cum qui
 ad ea loca profecti mores illarum regionum nobis percen-
 suerunt, eloqui satis non possint, quam illa, si ad no-
 stram Musicam referatur, moleste in auribus strideat &
 audi-